



Catalogus dispers.

I. J. Semler.

1. Obss. super 2 Timoth. III. et IV.
2. Sectionis VI Concilii Trident. exemplum.
3. De Regeneratione monastica.
4. de prostantia theol. aroomatica pro se dicta biblica.
5. de infelicitate hominum praesenti.
6. de Christo ad Alagarum epistola.
7. de imagine divina in humana spi natura.
8. de mystificationum interpretationum studio.
9. Antiquitatum Hermeneuticonum et Versall. spec.
10. de tempore quo scripta fuerit epistola Pauli ad Galatas.
11. Baptisator fuisse, de quibus agitur Act. XIII. 5
12. de propagata per Spirituacium inter Germanos ref. christi.
13. de discrimine notionum vulgarium et christianarum in libris N. T. observando.
14. In Matth. I. 17.
15. de cavenda molesta sedulitate sacra.
16. In Luc. I. Gabrielum spir. s. non esse.
17. Jesum Christum esse Pauli actione verum Deum et verum hominem. de sp. s.
18. Illustratio antiqui verminis ex evangelio Hebraeorum.
19. de vario et impari veterum studio in recolen. da historia descendit ad inferos.
20. spiritum d. recte desoribi personam.
21. de S. Novoross et evangelio Hebraeorum.
22. de discrimine inter baptisatos et circumcisos.

II. J. A. Bengel.

23. Singularis providentiae divinae in pace religionis vestigia.
24. de discernenda propria et tropica dictione.
25. de Latinitate patrum graecorum in novum.
26. in 1 Cor. II. 20 et 27.
27. incomp. cantionis anglicae Luc. II. 14.
28. de Christo homine regnante.
29. Jesum auctoritatem divinam religionis christi. confirmare signis maioribus legislatione finalica.
30. ad Hebr. II. 11.
31. in 2 Cor. III. 17.
32. ad Rom. XXIII. 17.
33. in Job. XII. 20-23.
34. de vera vi nominis filiorum dei.
35. In 2 Thesal. II. 1-12.
36. In Job. XII. 1-17.
37. In Job. XII. 17-23.
38. (plur.) in No. Reign waf. N. 31. - 74 p. 78. que est 8 p. 2 Cor. III. 6.

N. 129.
1.

129

DISSERTATIO THEOLOGICO-HERMENEVTICA
DE
DISCRIMINE
NOTIONVM VVLGARIVM
ET CHRISTIANARVM
IN LIBRIS N. T. OBSERVANDO.

QVAM
PRAESIDE
VIRO SVMMÆ VENERANDO, EXCELLENTISSIMO,
AMPLISSIMO, DOCTISSIMO
IOANNE SALOMONE SEMLERO
S. S. THEOLOGIAE DOCTORE, PROFESS. PVBLICO ORDINARIO,
SEMINARII REGII DIRECTORE
REGIORVM ET HALBERSTADIENSIVM ALVMNORVM EPHORO
PRAECEPTORE ATQVE PATRONO
OMNI PIETATE AETERNVM COLENDO
DIE XXVII. APRIL. H. L. C.
EXAMINI ERVDITORVM PVBLICO SVBICIT
AVCTOR
CHRISTIANVS GOTTLOB SCHWARTZ
SPROTT. SILES.

HALAE MAGDEBVRGICAE
LITTERIS IOANNIS CHRISTIANI HENDEL.
C1010CCLXX.

11

INSTITUTIONS
NOTIONNARY

TO THE



V I R O
SVMME VENERABILI SPECTATISSIMO AMPLISSIMO
D O C T I S S I M O
I. C. L V D O V I C I
POTENT. BORVSS. REGI
IN CONSISTORIO SVPERIORI A CONSILIIIS
ECCLESIA RV M ET SCHOLARVM
A. C. ADDICTARVM IN TRACTV SILESIAE GLOGAVIENSI
INSPECTORI LONGE GRAVISSIMO
APVD GLOGAVIENSES PASTORI PRIMARIO

E T
V I R O
MAXIME REVERENDO AMPLISSIMO
D O C T I S S I M O
S A M V E L G O T T L I E B G E I S L E R
ECCLESIA RV M ET SCHOLARVM
FREISTADIENSIVM ET SPROTTAVIENSIVM A. C. INSPECTORI
LONGE MERITISSIMO
FREISTADII PASTORI PRIMARIO

P A T R O N I S A C F A V T O R I B V S
SVMMA AETERNVM PIETATE COLENDIS

DENIQUE
VIRO PLVRIMVM REVERENDO
GODOFREDO SCHWARTZ
ECCLESIAE GISMANSDORFFIENSIS PASTORI
PARENTI OPTIMO

SPECIMEN HOC ACADEMICVM

EA, QVA DECET, OBSERVANTIA AC PIETATE

D. D. D.

TANTORVM NOMINVM

CULTOR ATQVE FILIVS OBSERVANTISSIMVS
CHRISTIANVS GOTTLOB SCHWARTZ.



§. I.



Quod in scriptorum interpretatione, veterum praecipue, semper maximeque valet, ipsius temporis haberi rationem, omniumque rerum quae circumstant atque attingunt maxime istos tum homines: idem locum habere etiam in libris tam Iudaeorum quam nostris, sacris, accuratius sobrieque interpretandis, inque castum iustumque aliorum usum adhibendis, viri doctissimi statuere solent. Sed hermeneutica illa causa, siqui animum ad eam, quam agebant, rem, adiecerunt, saepe aut non satis certa atque nota aut non satis obseruata fuisse videtur; minus certe diligenter inde a pristina aetate ad nostram vsque, illustrata fuisse dici potest; minus multo iam confecta & occupata est ab interpretibus, haec prouincia, tam Iudaicis quam Christianis. Itaque nec eam commentariorum adiumentorumque, quae dici solent, multitudinem, & tantam copiam, ut sacris fere bibliothecas obruerit oneribus, utque tironum amatorumque sacrae dignissimaeque istius prouinciae fere opprimat studia & exercitia, minime omnem hac de causa bene merendi nostris temporibus praeripuisse atque abstulisse occasionem credimus; potius commodum omnino argumentum hoc ex loco defumere huic videbatur scriptioni: de distinguendis in libris N. T. notionibus Iudaicis & vulgaribus, a christianis, nouis illis & catholicis. Vix vero primas hic ducere licebit lineas; adeo hoc argumentum, non solum



ipsum, sed etiam ob multarum aliarum rerum, quae cohaerent, quasi societatem, nobis videtur esse copiosum. Nos vero, ut huius generis scriptio-nes academicae fere habere solent, nec tempore & otio, nec loci hic spatiique abundamus amplitudine. Quae tamen a tirone expectanda sint, aequos satis scituros esse credimus arbitros: qui consilii praeter probitatem parum se asserre ipse profitetur, quo commendetur; nisi vitro fauor legentium ipsi subueniat.

CAPVT I.

DE

NOTIONIBVS N. T. IYDAICIS SIVE VVLGARIBVS.

§. II.

Hic primum omnium de eo neminem dubitare putamus, Christum doctoris munere inter Iudaeos sapientis probique functurum, ac meliorem longeque nobiliorem institurum & doctrinam & societatem: ea omnino etiam respicere oportuisse, quae cum consuetudine & opinione Iudaeorum iam coniuncta esse solebant. Atque sic etiam discipuli sapientiam praecleari magistri eandem, probitatemque & diligentiam imitaturi, non poterant & ipsi, ea quae de gestis & doctrinis Christi, scriptis tradebant, eius temporis lectoribus non praecipue accomodare. Res ipsa vel clarissimis exemplis facile patet; atque *Patres* antiquissimi omnes id solent repetere, nondum rationes tulisse temporis, ut *Euangelistae* argumentum omnes idem, modo eodem frugifero, eximioque, tractarent. Itaque e. c. *Ioannis* Euangelium, ob illam argumenti praestantiam, *πνευματικον* solent appellare; quasi tribus in aliis minus sit *πνευματος* seu perfectiorum & catholicarum institutionum. Atque sic *Gnostici*, praecipue Marcionis illi sequares, non tam his nostris utebantur Euangelis, eorumque omni & longa serie: sed *Epitome* quali quadam; omnibus illis omissis, quae ad Iudaicum legentium ingenium & opinandi humiliorem modum pertinerent. Scimus etiam de Apostolorum scriptis ceteris similem aut eandem tulisse *Gnosticos* sententiam: *Irenaeus* enim, *Tertullianus* alique scriptores verbosius vehementiusque exagitant *Gnosticos*, qui sibi id sumant, ut & de rebz & doctri-

doctrinis, quibus praecipue opus sit christianis, iudicant aliter; &, vt quidem sibi tribuebant, haud paulo studiosius & melius, quam ista Apostolorum disciplina, quae ex scriptis hauritur Euangelii & epistolis, seruata & continuata, fieri possit. (1) Ita enim statuebant: nempe quia iam non in Palaestina, sed inter Graecos & τὰ ἔθνη propaganda esset doctrina christiana; non opus esse, vt alii omnes illas addiscerent opiniones, quae sic fuerunt Iudaeorum, vt nihil iis adiumenti ad christianos ipsos inesset. Sic & *Montanistae* decernere solebant, per *paracletum*, per contiauum mentis christianae meliorem usum & diuinius exercitium, non pauca melius & facilius ex loco morali posse describi, quod ad novos Tirones attinet, quam quidem fiat a parte *catholicorum*; qui strictissime formulis eunctis & descriptionibus historicis adhaerere solebant, quae colligi ex euangelii & epistolis poterant. Nos, quia eam prouinciam hic non gerimus, non iam copiosius in hanc Gnosticorum causam inquirimus: praeterea tamen non dubitamus statuere: Gnosticis suo hoc iure sic vti licuisse, atque, si omnino id argumenti discrimen secuti sunt, quod ipsa rerum descriptarum indole & utilitate varia constat, recte id fecisse. Illa enim segnis *Iudaeorum* consuetudo atque ignauia sacra, qua libros sacros omnes, partes etiam illorum, *eodem plane in loco* sine rerum discrimine posuerunt, & menti animoque legentium continuum & stabile scripserunt quasi ius, a quo neminem, licet a Iudaeorum vita & consuetudine fuerit alienus, recedere fas sit: nihil deo dignum aut religioni deo dignae proprium hac ratione effecisse videtur. Omnes potius lectores decet ipsos vti mentis suae acie, atque suo modo de argumenti arbitrari diuersitate; ne augendae & adhibendae cognitionis salubris impedimenta pro adiumentis temere & ignauiter arripiant.

§. III.

Vt vero paulo diligentius eam causam illustremus, Iudaeorum quidem statum moralem, ipsis libris istorum sacris testibus, minime tam exitium fuisse, admonemus: vt praecedentes tales decernendi & opinandi duces, ceteros oporteat homines reuerenter & venerabundos sequi; quasi ipse deus Iudaeis, inde a Mosis tempore ipsam ἀληθειαν, & omnem perfectioris religionis indolem non solum exposuisset, sed & eius populi omne ἦθος & exemplum gentibus aliis omnium temporum imitandum proposuisset.

(1) Irenaeus lib. 3, inde ab initio, saepius; *Tertullianus* lib. 2 contra Marcionem; & de *praescriptionibus Haereticorum*, c. 22 seqq.

fuisset. Illa ipsa potius legislatio sic informata est, ut populo rudi atque ei temporari conueniebant; externa ministeria, & officia multa imponuntur iis, quorum animus ab omni fere intelligendi & sapiendi aberat exercitio. Itaque & *Prophetæ* seu internæ doctores religionis, succedebant multi, qui salubri mentem philosophia sensum auctum ibant, & ad ἀληθειαν perfectioremque ducebant religionem. Sed quo in honore & pretio habiti fuerint prophetæ, teste *Christo* ipso, non ignoramus, qui præclaris sententiis istud Iudæorum perpetuum vitium & inueteratum torporem reprehendit; & *Stephano* Act. 7, 51. Paulo in epistolis (2) etc. Hic si rem accuratius perpendimus, Iudæorum hoc quidem præcipuum vitium esse, reperiimus; quod statuunt, constanter in religionis causâ scriptis caeremoniarum formulis esse inhaerendum; subesse enim ritibus ipsis ingentem vim; ideo ceteras esse gentes impuras atque deo exotis. Hoc improbum ornandorum sacrorum suorum studium, peperit tandem παραδόσεις, quibus honor & auctoritas externi sic adiunabatur Iudaismi; ut examini & rationis excultae vsui, locus relinqueretur nullus. Haec nos ideo sic praemittimus, ut eo facilius intelligamus, saepe Christum atque Apostolos aliquid his hominibus eorumque moribus concessisse; quos rationibus ipsis atque rerum meliorum argumentis commouere atque emendare nondum licebat. Hinc vero perspicimus, interpretes doctoresque non recte facere, qui easdem argumentationum imagines & species porro omnes semper seruant, sine discrimine, & studiosius exornant; licet eius indolis auditores nostra aetas non secum ferat, quales fuerunt Iudæi. Nec opus esse, ut hos eosdem libros Iudæorum sacros, quos solent numero 24 catalogo seu canoni inferere sacro, semper in eodem loco sacro sanctoque habeant homines omnes, licet tam medioeris tamque inculti animi vsu, & legem quasi sacram a parentibus cum Iudaismo non acceperint. Postulent igitur Iudæi hoc

- (2) Paulus claris multis sententiis dicit, *Iudæos*, licet istis sacris libris instruetos, nihil quicquam apud deum iudicem, ratione internæ virtutis & religionis, differre a *cunctis gentibus aliis*; & sustulisse Christum omne discrimen vtrorumque, quocumque tandem quali e capite deriuetur. Itaque nec instruit quali doctores, qui alios homines imbuerent notionibus illis, quae Iudæis erant sacrae & vlitatae; ἀληθειαν porius opponit omnibus partibus illis, e quibus Iudæorum religio composita fuit. Docuit etiam, iam ante Moysi legem *Abrahamum* deo placuisse; itaque eum nullis earum rerum ideis vsu fuisse, quae inde a scriptis hebraicis libris fuerunt a Iudæorum doctoribus parum vtiliter informatæ. Eas non eripit omnino Iudæo-christianis; sed semper ad σαρξιν refert, non ad πνευμα.

hoe a suis, vt omnes narrationes historicas (populo rudi non plane inutilis) sic ament, ob praestantiam Iudaici generis; vt illas diuinas negligant admonitiones in Psalmis & Prophetis, quae omnes (sine Iudaismo) gentes ad dei meliorem esse transferendas cognitionem & consuetudinem confirmant. Argumentum vero ipsum magnum, *πνευμα*, & diuiniorem sensum, si nos hic ibi non reperimus: Iudaeorum illa nobis non statim sufficit auctoritas. Illa certe mentis christianae consuetudo perfectior, ab istis narratis scriptisque historiis non pendet, quae ad solos eorum temporum & locorum Iudaeos spectabant; sed haec iam huius loci non sunt; id tantum volebamus, e libris Iudaeorum istis sacris bono & iusto consilio saepe quaedam excitari in libris christianorum sacris; sed sic, vt tamen illa docendi, aut confirmandi ratio respiciat praecipue Iudaeos; non vero hominibus aliis statim atque omnino conueniat, qui aliorum beneficio temporum alium praeferre solent intelligendi modum.

§. IV.

Sed nec istum locum de *allegatione* scriptorum V. T. in Nouo, hic praecipue nobis proposuimus illustrandum; essi non est a nostro hoc argumento plane alienus: ad Iudaeorum enim consuetudinem & *Idiotismum* quasi *hermeneuticum* pertinet; qui si ad nos alicubi parum videtur transferre certae rationis, nos quidem nullo vero ad christianam cognitionem ideo caremus adiumento. E. c. Matth. I, 23. allegatur ex Iesaeae VII, 14 (3). Hic si nostrae aetatis interpres sequatur hebraicam *סוואדעצן*, signum quasi quoddam & adiumentum bonae spei describi reperit, inter ea pericula bellica, quae tum regi *Achas* immincebant, a regibus *Pekach* & *Rezin*. Huius signi vis propria tantum ad regnum refertur *Iudaicum*; rex hic ad bene spe-

- (2) Hoc carmen Iesaeae VII, studiosissime & diligentissime tractarunt Christiani, aduersus Iudaeos, inde ab *Irenaeo* & *Terrulliano* plerique omnes; hoc autem praecipue seculo in *Anglia* aduersariis contrariisque studiis in utramque partem versatum fuit. Nostrum iam non est, verbosius eam causam explicare; audemus vero statuere, ex isto quidem loco minus certam & stabilem demonstrationem aduersus Iudaeos aliorum temporum desumi posse; nec Christianos praecipuo quasi damno affici, si hodie minus videntur eius generis sententias, quae ne a Paulo quidem aut Christo fuerunt ad ipsam Christi causam aduocatae. Habuit autem *Matthaeus*, cur suo libro tum infereret.



sperandum erigebatur; nihil boni vero portendit hoc signum, quod attinet ad reges istos, *Samaritiae & Syriae*. Additur etiam ipse euentus, cuius confirmandi causa signum hoc promittebatur. Iam eadem sententia transfertur Matth. I. ad Christum, qui e matre virgine nasci debebat; nempe longe *maius iam signum* Iudaeis deus proposuit, & sententia illa *Iesaias*, quam aduersus Samaritiam & Syriam olim dictam tantum amabant Iudaei, hic longe maiori omine locum habere dicitur; cum e matre virgine nasci Christus *Iosepho* indicatur. Haec allegatio istorum *Iudaeorum* in rem, sic locum habuit, qui e vetustis solebant libris sacris, rerum inusitatarum omnium repetere auctoritatem. Similiter Matth. II, 17. Illud *Ieremiae* afferitur, & v. 15. *Osee* carmen; ex more Iudaeorum probiorum, qui prophetarum oraculis, minores non tantum istas res praeferitas, sed alia futurorum indicia, etsi subobscura, nescire statuebant. Horum bonam mentem, quae rebus maioribus adhuc dabat operam, hac ratione excitari & confirmari conueniebat; sed ad Iudaeos pertinaces & vanos proficere tur parum illis allegationibus, nisi aliis argumentis ad rei ipsius amorem & desiderium obligentur. Pro diuersitate igitur auditorum & legentium diuersa seligenda sunt argumenta. Nempe Iudaeorum istorum consuetudo illa colligendi & cogitandi, quae indole continetur eius temporis, a sequentium temporum & hominum differt interpretandi & colligendi consuetudine, siue christiani sint, siue Iudaei. Itaque & christiani diuisis solent esse sententiis, de vera *allegationum* talium causa. Nec nos hic temere ut arrogantius desinimus; id tantum obseruamus: Matthaeum non legem quasi nobis & nostris temporibus, aut cunctis omnium scripsisse temporum hominibus, istis *allegationibus* aut *argumentis*; ut vel inuitos, & siue animi mentisque consensu, argumentandi & allegandi illam rationem omnium esse temporum & locorum, omnes statuere oporteat; sed & hic posse distingui notionum iudaicarum modum & virtutem, ab aliorum hominum percipiendi exercitio (4).

§ V.

(4) Non iam hic excitabimus istos omnes scriptores, qui de allegationibus V. T. in N. T. scripserunt, numero satis multi. A *Rambachii* disciplina, qui huius generis *accommodations* omnino reiciebat, recte ablii *heermannus*, in notis ad Matth. VIII, 17. & cap. II, 15 & 17. qui & *Euceri* & *Heringeri* meliorem sententiam praetulit, *parodiarum* talium omnia plena esse in N. T.; addidit *Turretini* nomen; nec *Glassius*, *Keslerus* & alii plane abstulerunt ab isto iudicio, licet subobscurius rem dicant. *Surenbusti* *Bischoff*

§. V.

Repererat Iudaeorum magistri, varias earum rerum, quae in libris hebraicis narrabantur, *additiones & illustrationes*; cum vero a meliori cognitionis indole essent alieni: vnice res suas praetulerunt, & quidem nonis subinde *ideis* eas auxerunt; sed rerum talium, quae ad moralem hominum perfectionem, parum aut nihil facerent; Iudaismum autem quasi honore & dignitate perpetua ornarent. Iam, cum Christus traditiones istas non solum ipse reprehendat, sed & clare suam doctrinam, satis diuersam, a deo auctore esse dicat, eiusque ad omnes homines extendat auctoritatem: patet, 1) deesse iustam auctoritatem talibus *notionibus*, quae Iudaeis erant iam a longo tempore familiares. 2) Locum vero fuisse sapientissime Christo & Apostolis, repetendarum & afferendarum talium idearum, quia praecipue cum Iudaeis rem habebant; 3) *Christianis* igitur licere, vt distinguant *notiones*, Iudaeis inde a longo aut paruo tempore vsitatas, atque sacra etiam auctoritate apud ipsos ornatas; nec enim illas *notiones*, quae dei auctoritate, atque interna veritate Iudaeorum iudicio non carent, cum *Christianismo* semper coniungi, opus est. Latissime patet hic locus; sed diuidemus eam rerum & obseruationum copiam.

§. VI.

Venimus iam ad rei summam; hic primo loco in memoriam reuocamus, quod est satis certum, Iudaeorum doctores, *Pharisaeos*, quibus honorem tribuit *Iosephus Antiochenus*, (s) & *herannetis*, inde a longiori tempore rerum cogitandarum varias reperisse imagines & species, quibus sacram quasi praestantiam Iudaismi eximie ornari & confirmari credebant. Vbi sunt eam in rem sacris illis libris hebraicis, quorum breuem sermonem longo opinionum satellitio auxerunt. Ingentem talium nouarum notionum, quae tantum erant *επιχωρικά*, & domesticae, copiam ex libris euangeliorum & epistolis, & Apocalypsi colligere licet; sed hic libellus partem tantum rerum earum breuiter attinget, quas obseruari volumus. Licuit quasi in classes redigere; *vnum* genus est earum notionum, quae

B 2

ad

καταλλαγή, etsi hic ibi non omnino approbetur, vt eruditorum omnium esse solet illa fors, tamen vtilissima institutione vel Rabbinorum exemplis non auget. Opus certe non erat, inuidiam alicui excitari, qui malit via expedita pergere & minus aspera.

(s) Id & ipsi faciunt. Ioh. 7, 49.



ad informandum superiorem mundum pertinent, qui sub adsp̄ctum non cadit; alterum vero, res huius mundi comprehendit. *Superior mundus de Deo, de coelis septem, coeli portis, libro coeli, de angelis, throno Dei etc.* plures notiones suggerit; porro & ista non adsp̄ctabilia, *simum Abrahæ, Paradisum, vinum novum, portas Inferorum, Gehennam*, Matth. V, 22. ignem ab initio mundi, seu *lacum ignis, angelos malos, principemque Beelzebub* etc. In hoc autem mundo adsp̄ctabili repperunt multa, de mundi duratione, de hominum diuersitate, de diabolo eiusque quasi tempore; de daemoniis (an non Iudæis?), officiis angelorum, de legis latone; de *horis precum statis*; de *Elia* reduce, de *Messia* eiusque prouincia; de *resurrectione* etc. Ita omnia speciem aliquam *historico-dogmaticam* habent; nec solebant plerique Iudæi dubitare, de vera & firma harum notionum indole; potius ad moralem locum amplificandum & confirmandum eius generis ideas adhibuerunt, & religionis suæ præstantiam, his rebus niti statuerunt; quia inde a pueris auctoritatem magistrorum vnice venerari discabant; itaque & libertatem illam quam Christus promittebat, Ioh. VIII, 36. amare non poterant.

§. VII.

Quod ad fontes quasi attinet, vnde discimus, Iudæis placuisse has *notiones*, plures libri Iudæorum huc pertinent; *scriptiones* fere omnes *Talmudis* vtriusque, earumque commentatores; *cuncta Targumim, & Rabbinorum* plurium, multi libri; e quibus iam doctissimi viri plures, longam quasi messem collegerunt; *Drusus, Ligtfoot, Hottinger, Schötgen, Saubertus, Dilherrus*; plurium loco vel *Wesseni* corpus N. T. esse potest. Sed & libri præcipue illi *apocryphi* & Pseudepigraphi (6) non negligendi sunt, e quibus multa sic ad hanc causam pertinent, vt eam eximieque illustrent. *Graeci* enim *Iudæi* talium librorum auctores, siue ante Christum natum, siue iam e christianorum Iudaizantium numero fuerint, aliis etiam quibusdam notionibus iam erant adfueti, quæ Iudæis, ceteris, qui non vivebant inter gentes, minime fuerunt vtitatæ. Cum enim

græci

(6) Eius generis libros plures iam isto tempore in manibus hominum fuisse, eo minus est dubium: quod *Clemens Alex. Origenes*, alique graeci scriptores sententias varias designant, quas e. c. *Paulus* ex talibus scriptioibus fuisse ait. *Tertullianus* librum *Henochi* graniter ipse describit. *ἀποκρυφιστικῆς*, *Adami vita, Moysi ἀνάληψις* & eius generis libri multi alii, non raro excitantur vel a ferioribus Christianis.

græci Iudæi græca partim librorum hebraicorum vterentur translatione, quæ & ab hebraico textu ipsa aberat, & scribarum vitio hic ibi sensum alium adiunabat; partim inter homines alios viuerent, qui a *Platonica* (7) e. c. philosophia non omnino fuerunt alieni; facile patet, græcis Iudæis notiones quasi quasdam fuisse proprias, quæ ceteros minus tangebant Iudæos. Si igitur nos ei rei demus operam, vt quasi *systematis iudæici* (8) aut Iudæo græci illas partes, quæ iam minus nobis notæ esse solent, sic coniungamus, vt reddant aliquod instar eius temporis, & status disciplinæ moralis: dubitari non potest, facile distingui posse huius generis *ideas*, Iudæis tantum vtitas, hominibus vero aliis parum frugiferas, certe non porro necessarias. Etsi enim nec Christus nec Apostoli hoc de discrimine ipsi admonuerunt diligentius, quia isto tempore Iudæi esse solebant primi discipuli & auditores Apostolorum, quibus eripi illa opinandi consuetudo, omnino aut statim non potuit; tamen, si ad Christi, Paulique sapientiam attendamus diligenter, facile intelligemus: non solum licere christianis, nouo opinandi iure & exercitio, seiungi & distingui, sed & christianorum præcipuum hoc esse decus, si illos *sæculum* iusto interuallo relinquunt. Habebit autem & hic locum illud, eandem non omnium esse cognitionem; esse etiam inter christianos, qui nominibus *ἡθίων*, *σαρκίων* & *αἰδίων*, ab aliis distinguantur perfectioribus.

§. VIII.

Iam exemplis quibusdam allatis eius generis *ideas* aliquas illustrabimus, licet non vniuersum istarum quasi systema iam colligere atque explicare possimus. Primo loco eam præstantiæ imaginem repetimus, quæ Iudæi, vt Abrahami posteris, & suam gentem, & religionis per Moysen traditæ modum, vrbenque suam *Hierusalem*, quæ templum ostentabat, sic amabant: vt his quasi decoribus & iuribus vincere omnes gentes putarent; dei, si placet, *populus*, qui patrum sanctitate, rituum & cærimoniarum

B 3

- (7) v. e. c. Ven. *Bruckeri*, dissertatio, de vestigiis philosophiæ Alexandrinæ in libro sapientiæ. add. *Philo*, & nomina alia minus certâ, apud *Euseb.* præparat.
- (8) Non exigua eius pars, quasi *mythologiam* constituit Iudæicam: quæ bono consilio non omnino caruit, sed a posterioribus stricte repetita plebem in ista imperitia vulgari confirmavit; vt his notionibus imbuti parum differrent a gentibus aliis, quæ similem sacram superstitionem venerabant. Itaque *Παυλὸς τῆ ἀκαθαρίας* Luc. 24, 25. dicuntur & *ἀφροσύνη*, vt aliis aliorum hominum vitis, non carere, Marc. 7, 22; i. e. vsu rationis similiter carere, vt *Heumannus* recte explicat.

rum sacra virtute, templi & *urbis sanctae* honore, suo iure superbiat. Hinc ceterum hominum genus contemnere atque odisse solebant, quasi *εξ οχλῶν αμαρτωλῶν*, Galat. II, 15. unde & Christus iudaicam sententiam illam dixit; sit tibi publicanus & *ἔθνος*. Itaque & Messiae beneficia & consilia ad Iudaeos tantum pertinere statuebant. Hanc vanitatem & stupidam superbiam Christus vehementer repressit, Ioh. VIII, 39 sq. *Paulus* etiam, *Iudaeum* internum, & Abrahæ veros posteros distinxit Rom. II. & IX. Coniuncta fuit cum isto sacro fastu maligna in gentes alias sententia, quasi a deo, vetusto & perpetuo iure, plane alienas; diaboli, non dei proprium peculium; quæ dignæ non fuerint, vt lege ista Mosis adiuuantur; vt antiqua obtinet illa fabula, de Mardocheo & Hamano; qui cum opponeret isti, scriptum est, hostis tuus cum cadit, ne lacteris, responsum habuerit ab isto: hoc in Iudaeos valere, de gentibus vero scriptum esse, Deut. XXXIII, 29. (9) Hoc argumentum Paulus studiosissime tractat, *μυστηριον*, vt dicit per superiora Secula; Eph. III, 3-6. & alibi saepissime. Christus autem & exemplo suo luculenter refutauit, quare cum *peccatoribus* consuetudinem habere dicebatur; & doctrina, licet subobscurus Matth. VIII, 11. 12. Ioh. III, 16. 17. Ioh. X. tandem aperte, post mortem, missis Apostolis *ἐς πάντα τὰ ἔθνη*. His igitur Iudaeorum decretis omnino contradicere palam & omnino oportuit, quia verae religionis indolem *καθολικῆν*, & beneficium *κοινῶν* euertebant. Sed aliter habebant multae notiones Iudaeorum aliae, quæ vix vnquam aperte refelluntur, quia improbam de deo aut indignam deo sententiam non secum ferebant ad eos, qui sic iam diu opinari solebant; eripi autem ob vetustatis & sacrae auctoritatem indolis, non statim poterant amatoribus; itaque & caerimoniarum iudaicarum consuetudinem christianis, qui e Iudaismo exirent, legimus quasi liberam mansisse, quia illis eripi non statim potuit, qui molestioribus religionis exercitiis adeo affecti essent.

§. IX.

Iam, ex illa rerum huc pertinentium copia, exempla quaedam eligimus inuolentiora. Ex Euangeliis sint ista. Matth. XII, 43. Luc. XI, 24. *το ἀκαθάρτων πνεῦμα διεσχεταί δι' ἀνθρώπων τόπων* etc. Describitur hæc ratione *ἐγγὺν ἡμῶν*, vt *Wetstenii* ad Matthæi locum declarant exempla, & recte *Bengelius* ibi: vbi nulla aqua, non habitant homines, Ps. 107, 35 sq. Similes

(9) Vide plura apud *Wetstenium* ad Matth. 5, 43.

Similes occurrunt descriptiones Ief. XIII, 20 seq. XXXIV, 13. (10) Apoc. XVIII, 2. confer. & Baruch IV, 35. Illa descriptio a Christo hic adhibetur tantum *κατ' ἀνάγκην*, quia sic firmiter solebant Iudaei statuere, itaque ex concessis quasi hac ratione disputat. Hic satis clarum est, Christum non sacram quasi ad ceteros transferre homines, sic credendi, consuetudinem, qui libris illis *Iudaicis*, in istisque nominibus (*Ziim* etc.) & descriptionibus inde a pueris non erant adfuerit. Parum recte igitur christiani fecerunt doctores, quod Iudaicis his sententiis christianam infeci doctrinam passi sunt. Insana enim haec superstitio mentem sic corrumpit hominum, ut diligenter quidem a malis timerint spiritibus, in locis praecipue ab hominum societate remotis; a perfectiori vero religionis cognitione longius similiter abfuerint, sicut Iudaei. (11) Hic *Heumannii* eminet in iudicando dexteritas, qui Luc. XI. scribit: negari quidem non potest, Christum respexisse vulgarem Iudaicam opinionem; sed minime statimus, quod eam suo consensu confirmavit; describit potius istam ἀβυσσόν Luc. VIII, 31. Quod ad hoc attinet, nostra parum refert, sine ἄγνωστος, sine ἀβυσσος describatur; addimus potius, quod magis huc pertinet, Matth. IV, 1. plane Iudaeorum causa, describi, Christum εἰς τὴν ἄγνωστον ductum fuisse, ut ibi tentaretur a diabolo; in desertis enim ac minus habitatis locis res suas praecipue habere a Iudaeis credebatur diabolus.

§. X.

Huius generis est & illud, Luc. VIII, 2. *multa aut septem* e Maria Magdalena exiisse *daemonia*; omnem autem *daemoniacorum* hic locum omitimus, licet maxime sit eiusdem ordinis; illa etiam Christi oratio, Luc.

(10) Vitringa ad *Iesaiam*, *Eisemenger* iam allatus ad Matth. 12. a Ven. *Bruckero*, pluribus exponunt de talibus *opinionibus* Iudaeorum, quas profecto deo, sensui sacrae scripturae, & rationis vsui non debebant. Plura studiosius attulit *Ode*, in vasto isto commentario de *angelis* pag. 695. addendus locus e libro *Henoch* apud *Fabric.* in codice pseudopigr. V. T. Tom. I. pag. 192. 194. & *Tobiae* 8, 3.

(11) Mirandum vero est vel *Bezam* in notis ad h. l. scripsisse; incultis & squallidis locis mirum est, & tamen *experientia* (si placet) ipsa confirmaturum; segas, & veneficas plerumque inueniri: denique quantum illic valeant *satanicae praestigiae*, docent mala per Eremitas & monachos in ecclesiam iam pridem inuecta. Sic omnino *Bezam*; nostrorum theologicas voces similes hic non colligimus; sed in corpore illo anglicano biblico optabamus paulo studiosius tales notiones distinctas a V. V. editoribus fuisse.

Luc. X, 18. videbam omnino *Satanam* instar fulguris de caelo labentem, atque evanescentem quasi; i. e. omnis illa, quae publice priuatimque solebat timeri, potestas, magis magisque iam tollitur; homines sensim istum incipiunt metum abicere, vestro adiuti ministerio symbolico; ac hac ratione ipsos Iudaeos discipulos in meliori confirmat & adiuuat fiducia. Attingit & hunc locum IAC. ODE, pag. 652. sed tristi & plane Iudaica disciplina praemissa: sub V. T. oeconomia *facultas diabolo erat concessa redeundi in coelum, & suas* (quas enim?) coram *throno gloriae* (nempe, qualem Iudaei veteri pictura abusi construxerunt) diuinæ *partes agendi*; quia legitur *Iobi* I, 6. coll. II, 1. & I Reg. XXII, 21. 22. spiritum mendacii *construxisse coram Iehoua*; (vix abstinemus hic a censura;) sed sub N. T. *Satanas*, vt *fulgur*, e coelo cadere visus fuit, atque ita de iure priuatus fuit omni, in electos, potestate etc. Sunt autem haec decreta Theologo indigna christiano, qui doctoris non a Iudaeis debet derivare prouinciam. Nempe, quia tales formulae leguntur, quibus aut *pictura aut visio* exprimitur, vt eam solebant Iudaei informare, ideo historice & metaphysice res sic omnino habet! Quaerendum erat, vtrum firmis ducti rationibus, sic solebant Iudaei describere? Refellit autem ibidem *Voetium*; qui daemones concedere noluit, *post apostasiam in coelum rediisse* etc. Iudaica opus sane erat nobis angelologia! Quantum tales a bono scribentium consilio recesserunt interpretes! Sed nec hodie theologia desinit iudaico-christiana, cuius insignem facit partem ille de diabolo malisque angelis locus; nos vero eum locum Iudaeis relinquimus.

§. XL.

Ὁ πονηρός, *malus ille* i. e. diabolus, Iudaico similiter more commemoratur saepius, sed ad Iudaicos praecipue auditores lectoresque; Matth. XIII, 38. *ὁ δὲ δία τὸ πονηρός*, recte in *masculino* descripsit *Heumannus*, vt v. 19. (Ioh. 8, 44. filii diaboli;) miramur autem *Heumannum* Matth. VI, 13. *εὐσεβῆ ἡμῶν ἀπὸ τοῦ πονηροῦ*, in neutro accipere (12); plane enim *coherent*, ne patiaris nos (a diabolo) duci in tentationem (ὁ πειρασμῶν,) potius plane nos ex eius potestate magis magisque eripe. Vt enim Christus de Petro narrat: *Satanas tibi intentabat tentationem, deum vero pro te rogavi, aduersus Satanam*: sic & Ioh. XVII, 15. *τηνῶν δυνάμεων*

(12) *Vnam esse tantum petitionem* velimus, quas faciunt *duas*; id iam *Augustinus* vidit; vide *Heumannum*.

ἀσρες ἐν τοῦ πονηροῦ (13). Quod attinet ad *Latinos* interpretes, illud a malo, facile intellexerunt in neutro; sed Graeci retinent masculinum. Atque hoc res ipsa postulat: si quidem eius temporis homines respicimus; diabolus maximam quasi regni partem, homines, deo eripuerat; itaque iam dei regnum reducitur, atque ille *κατακρίσται* iure quasi exiit vſurpato. Sub mundi autem finem *Satanæ* præcipua vis ac impetus timebatur maior; quia non ignoravit tempus, quo vti possit, fere esse clapsum. Haec igitur notio & per istos proditur 2 daemnicos: cur venisti vexare nos, ante quam tempus clapsum sit. Talis videtur & illa Pauli sententia, 1 Cor. X, 15. πειρασμος mediocris fuit adhuc; sed instat maior, quia v. 11. τὰ τέλη των αἰώνων εἰς ἡμῶς κατήνησεν, plane vt Apoc. XII, 12. pingitur, diabolus descendit in terram ingenti ira plenus, εἶδως, ἐπὶ ὄλεθρον καιρον ἔξει. Haec omnino apud Iudæos animo solebant (14) obuerrari; atque sic in formulis precum apud Wettſenium: non dominetur in me figmentum malum; & libera nos a *Satana*. Et in alijs precibus: libera nos & eripe nos ab *aduersario malo*. Etsi igitur plerique solent theologi latinam sen- qui phrasin a malo, (etiam Baumgartenius in illustratione librorum symbol.; pag. 260. 262): tamen nos masculinum praeferrimus; falso enim occupant petitionem 7 & 6 distincti esse argumenti. Addimus autem præterea, quod iam Hakspanius (15), licet leuiter, notabat, ex Moſe ben Maimon parte 3 Moreh c. 22: dixisse Simon ben Lakisch, angelam mortis, in *Satanam* & iezer hara esse idem; quod & in Talmud dicitur atque in *Beth Israël*. Hic obseruat, annon forte *Sadducei* decepti sint hac ratione, vt negarint, angelum dari vel spiritum; eo, quod idem sit angelus, vt negarint, angelum dari vel spiritum; eo, quod idem sit angelus, cum figmento humano seu affectu malo (16)? Nihil se tamen asserere, sed doctioribus expendenda relinquere; nos multo magis eandem decet modestiam sequi. Sed addimus: 1) Iudæos coniungere, in precibus: dominetur figmentum bonum; non dominetur in me figmentum malum: & libera nos a *Satana*, apud Wettſenium. 2) Idem claris verbis Apostolum dicere

- (13) De nomine ὁ πονηρός vid. Oude p. 171. qui istis locis addit Ephes. 6, 16. 2 Thess. 3, 3. 1 Ioh. 2, 13. 14, 3, 12. 5, 18. Inepta vero sedulitate, rationes omnino X. designat, cur diabolus dicatur ὁ πονηρός.
 (14) Christum istam orationem e melioribus partibus precum iudaicarum composuisse, post G. Th. Meierum, & Saubertum, Wettſenius obseruat copiosius.
 (15) In disputat. de angelorum daemionumque nominibus, n. 47. 48.
 (16) Vid. Gualmin de vita Moſis pag. 217. iezer hara, basilicum dictum & peiorem, quam serpentem; esse semen serpentis primi.

C

cere *Iacobum* c. 1, 13. 14. deus neminem *πειραζει*, *ἐκαστος* δὲ *πειραζεται* ὑπο τῆς ἰδίας ἐπιθυμίας ἐξελκόμενος etc. i. e. per *ieser hara*; alibi vero dicitur, *per diabolum*. Melius etiam descripsit Paulus, non addito diaboli nomine, Rom. VII, 17. *ὁμοῦσα ἐν ἐμοὶ ἀμαρτία* etc. tamen graeci latinique non pauci illud Rom. VIII, 3. *κατεργαζεν τὴν ἀμαρτίαν*, diabolum dixerunt. Haec igitur iam in christiana sic explicanda sunt disciplina, vt a Iudaismo ab sint nostri; quibus profecto ad *πνεύματος νουνοτητα* non opus est prifitnis Iudaeorum *de diabolo* sententiis. Illa autem ignauior fecit disciplina, (nisi oeconomiae tribuamus antiquiorum,) vt & prouinciam Christi praeclaram multi per multa secula descripserint tam atrociter, vt Christum *λυττον* perfoluisse dixerint diabolo. Haec forte detur venia antiquitati, vt potest; quoniam *ὁμοιωσαν* Christi sic descripserunt multi, vt ista tulerunt tempora; sed doctrinam christianam faciliorem cancellis limitibusque perpetuis ad alios non decet impediri. *Occultasse*, diaboli causa, diuinae Christi prouinciae ius & decus, etc. veteres dixerunt; sed non iurare coguntur hodie omnes in illa Magistrorum, licet bonorum, verba, sine vilo suo aliorumque bono.

§. XII.

Iam & aliquas colligemus eius ordinis descriptiones, quae ad *statum* pertinent *mortuorum* (17). Nec hic pluribus in locis N. T. obseruari mirum est, *Iudaismum*, seu peculiarem & Iudaeis proprium opinandi modum: cuius ea est indoles, vt praeter Iudaeos eum transferri non opus sit ad alios omnium temporum homines, quia praecipua illa caret auctoritate, quae omnium est temporum. Hic primum notamus omnium spirituum, post hanc vitam, aliquem quasi locum, & commune describi domicilium, pro status diuersitate moralis. Ita Luc. XVI, 22. 1) *in sinum Abrahae*, 2) *per angelos*, portatus fuisse dicitur ille *Lazarus*; 3) dicitur, *bona tua* in isto mundo accepisti; 4) *chaos* magnum (18) diuidit beatos ab istis infelicibus. Ista descriptiones sunt & manent Iudaeis propriae; e *Targumim* & *Rabbinis* loca plura adduxit *Wetstenius*, quibus idem dicitur: angelos portare iustorum animas: eustodem *paradyfi* eas introducere; *Abrahami* sinum Iudaei sic celebrant, vt statuunt, descendere *Abrahamum*,

(17) Omittimus *notionem*, *videre* & *gustare* mortem; i. angelum mortis terribilem, qui *gutta* mortifera in os hominis ilapfa hominem occidit.

(18) Ex libro *Henochi* *χμας τε πνευς* notatum est in Apparatu Praefidis ac Praeceptoris mei S. V. ad liberalem N. T. interpretationem, p. 106.

hamum, & Israelitas educere (18) ex *Gehenna*; sedere cum ad portam *Gehennae*, nec finire circumcisum Israelitam eo delabi etc. Recte vero ad sinum (19) hunc explicandum, iam *Olearius* (de silo N. T. pag. 32. edit. Rhenferdii) admonet, comparandam esse phrasin, *accumbere* (ad sinum alius) cum *Abrahamo* Matth. VIII, 11. *ἐκκεῖθεν ἤσαντο* cum *Abrahamo*, *Isaaco* & *Iacobo*. Idem *Olearius* addit, triplicem ordinem fecisse Iudaeos: animas aiorum 1) in *horto Edenis* esse; (20) in *Paradiso* eris mecum, Christus locutus est Luc. XXIII, 43. vid. *Weissenium*, qui loca multa *Rabbinorum* attulit; etiam de vino illo abscondito, inde a diebus mundi, vt Christus Luc. XXII, 18 dixit, non bibam de fructu *της ἀμπέλου, εὖς οὗτο ἡ βασιλεία του Θεου ἔλθῃ* etc. Ille hortus *Paradisi* iam in regione *tertiæ coeli* est, quam picturam Paulus repetit 2 Cor. XII, 2. 4. (in libro *Hienochi* de *tertio* & ceteris coelis; in *septimo*, thronus gloriae). 2) *Aliae* sub *throno gloriae*, qui est gradus summus; 3) alii in sinu *Abrahamae*; ablegat *Olearius* ad *Ligtfooti* horas hebr. Talmud.

§. XIII.

Atque illas isto sub *throno gloriae* describi videmus animas Apoc. VI, 9. *ὕπναιω του θυσιαστηρις ψυχας*. Idem omnino describitur felicitatis gradus, quia, ex veteri Iudaeorum disciplina, inferiori superiori respondet mundus, vt *δεξιουπον ἐκτυπω*, templum igitur, sanctuarium, altare etc. in coelis etiam habebunt locum. Attulit *Weissenius* loca rabbinica: deus dixit ad animam *Mosis*, collocabo te sub *throno gloriae meae*; — animae iustorum absconditae sunt sub *throno gloriae* etc. R. *Akiba* dixit: sepultus in terra *Israelis*, perinde est ac sepultus sub altari; quicumque autem sub altari sepelitur, perinde est, ac si sepeliretur, sub *throno gloriae*.

C 2

- (18) Vt *Franciscum* e purgatorio educere, narrat *conformitates*; caputatos.
 (19) *Tertullianus* minus bene fingit lib. 4. contra *Marcionem* c. 34. p. 329. edit. *Halesis*: esse aliquam localem determinationem, quae *sinus dicta sit Abrahamae ad recipiendas animas* filiorum eius, etiam ex nationibus — regionem etsi non coelestem, *sublimiorem tamen inferis* — donec etc.
 (20) Sic excitat *Hakspanius* p. 353. in Sylloge disputationum, translationem Iudaico-german. 1 Sam. 28, 19. *Samuelem dixisse ad Saulum*: eras venies cum tuis liberis ad me in *γιν* *γιν*. De illo vino vid. *Gaulwin* ad vitam *Mosis* p. 385. edit. *Paristensis*; est descriptio *vinae aeternae*. Certe non opus est *Bengelium* adhuc publice ad. 1 Cor. 15, 55. iudicare: *infernus accipit animas*, etiam sine corporibus; non modo impiorum, sed etiam *piorum* ante mortem Christi quidem Gen. 37, 35. Luc. 16, 23. Hoc non est agere christianum interpretem.

viae. Bengelius, attulit 2 Maccab. VII, 36. fratres nostri ἀεὶ αὐτοῦ ζῶντος ὑπο
 διεδόθησαν ἑαυτοῦ περὶ τῶν αὐτῶν, sed illud ὑπο nihil relationis secum fert ad lo-
 cum aliquem, infra altare aut thronum dei. Illam Iudaeorum, ἐννοίας
 magnopere corruptissē dolendum est christianorum religionem, multa per
 secula: nec hic foedam piget illam breviter illustrare causam antiqui testi-
 monio latini (21) scriptoris, cuius testimonium a quoquam non recorda-
 mur in lucem prolatum, vel *Apocalypseos* interpretum; quod tamen vel
 vnicum docebat satis, quantum opiniones veteres damni temporibus ad-
 ferre possint iunioribus, quibus alii iam homines aliter & in peius abutan-
 tur. Ille igitur scriptor fatetur, isto demum tempore, *incepisse reliquias*
sanctorum miracula perficere; fatetur esse duram & difficilem materiam,
nec ab aliquo antea pertractatam. Omnem vero rem deriuat & confir-
 mat ex hoc loco Apocalypseos; *vestes* animabus promissas, esse has *virtu-
 tes* nouas; *has stolas nunc habere coeperunt* — In Italia primum illa
 processit virtus martyrum.

§. XIV.

Cum simus iam in *Apocalypsi*, ex ea similes alias *iudaicas* de-
 scribimus *imagines* quasdam (22); praeter ea, quae sunt e libro 4 Esdrae.
Quatuor angelos, quatuor ventis seu plagis praefectos fuisse a deo, Iu-
 daeorum est disciplina; vid. Gaulmin loco citato pag. 210. Maiores bo-
 ni angeli ligant, malos angelos; septem sunt אַרְבַּעַת, ligantes, septem alii
 מַחְבֵּרֵיהֶם, congregantes. Idem pag. 300. affert istum locum e libro rab-
 binico; timere oportet; sunt enim *septem angeli*, qui *oculi dei* vocantur,
 atque illi circumeunt & testantur ante synedrium. Ex eodem scriptore vi-
 detur ille locus *Apoc. VIII, 12. posse illustrari, ἐπληγή το τρίτον του*
ήλιου, καὶ το τρίτον της σελήνης, καὶ το τρίτον των ὀρέων etc. *Vossius*
 in vtilissimo commentario de *Hebraisimis* N. T. c. 5. sub finem, notauit:
 primum hac de phrasi monuisse Ioh. *Croium*; comparari posse verbum
 לקח,

(21) Habetur inter *Hieronymiana*: *ad amicum aegrotum de viro perfecto*;
 in aliis codicibus sine nomine; in quibusdam, *Cresiphontis*; *Ambrosii* sic
 mendo & repertorum S. S. *Cernasii* & *Procrasti*. *Vitalis* videtur appellari,
 cui scribitur.

(22) Plura e libro 4 *Esdrae* in apocalypsin translata fuisse, Iudaismi plena, ad-
 monitum est nuper in b. *Oederi* germanico libello, quo Apocalypsin e nu-
 mero canonicorum librorum delendam esse suadet, vid. praefationem edito-
 ris Praefidis ac Praeceptoris mei S. V.

לקח, sic & R. *Salomonem* scribere, ad Genes. I, 14. quando luminaria percutiuntur (eclipsin patiuntur,) signum malum est mundo. Sed superest tamen, unde orta sit illa phrasis? Nempe per angelum aliquem sibi fingebant; de virga illa diuina, cui nomen dei ineffabile inscriptum fuit, qua Moyses miracula fecit, Iudaei multa narrare solent; virgam illam venisse ab Adamo ad Mosen; *Gaulmin* pag. 226. 227. De libro autem vitae, Apoc. III, 5. c. XXI, 27. Phil. IV, 3. (saepius enim illa *ἐνεκα* redit;) quae formula & a Christo fere vsurpatur, Luc. X, 20, theologi multi sedulo & studiosè agere solebant, vt ex *Heumanni* allegatis nominibus, facile patet. Solebant Iudaei librum vitae in terra, viuentium, seu librum generationum Adami fingere, & librum generationum supernarum, seu iustorum; sic & Paulus Hebr. XII, 23 scribit, esse, *qui in coelis scripti sint*. Vtilius eam phrasin illustrauit *Hakspanius*, in sylloge disput. pag. 310 seqq., in locum Epistolae *Iudae* (23), v. 4. *περὶ γεγραμμένοι ἐῖς νεκρά*, vt Iudaei dicunt, scriptus ad *Gehennam* aut *mortem*. Ineptissime hic christiani de *praedestinatione absoluta* comminisci solebant; Iudaeorum rudiores picturae tanti profecto non erant. Patentur & ipsi Iudaei apud *Hakspanium*, & alibi saepe, *scripturam more humano loqui*; cur igitur ex humanis ideis religionis stabilem rationem multi definire ausi sunt? Est merus Iudaismus; itaque sub initium noui anni solent rogare deum: scribas nos in libro טובים חיים, in libro *iustitiae*, in libro *redemptionis & salutis*; poterant hac ratione plura confingi, consilio non improbo, sed non praecipue omnibus temporibus conuenienti. Liebat potius, alios etiam mente iudicioque vt iam ipsos, suo modo, loco Iudaeorum. Sed hic argumentum tam copiosum nos ita premit, vt iam scriptionem hanc finire cogamur, temporis prohibiti breuitate. Aequos tamen facile speramus arbitros, nobis esse condonaturus, cum alios breui tempore successuros speremus, qui hoc de argumento, quae supersunt, porro exponant.

(23) Eam *Iudae* locum *Wesstenius* non illustrauit e *Rabbinis*, quod tamen non erat superuacuum.

F I N I S.

AESTV.



AESTVMATISSIMO SCHWARZIO

S. P. D.

IOH. SAL. SEMLER.

*D*isputationis huius argumentum, quod ad praecipuam partem attinet, in Seminario theologico iam informaueras; quod cum significares mihi publicae TE disputationi destinare velle: lubenter annui, & pauca tibi suggessi alia, quae iam copiosorem tractationem postulant, quam tu quidem commode tibi desumere poteras. Primum igitur quasi scriptiois caput tantum decerpebas; quod satis bene fieri posse mihi videtur; quia non desunt, qui in eas partes laboris succedant, quae iam supersunt. Hic ego, nisi spatium deesset, verbosiores voluntatis in TE meae significationem destinabam; quia inter nos vixisti laudabiliter. Sed vix hoc licet addere, & rogare, operam ut porro des omnem, qua' aliis TE probes, deique inter homines gloriam feliciter promoueas. Dabam raptim d. xxvii. April. 1710 cclxx.

RESPONDENTI HONORATISSIMO

S. D.

GE. FRID. MEIER.

*Q*uam ex disputatione TVA eiusque publica defensione cuilibet artium liberalium aequo arbitro patere possit, TE non solum ingenium literis diligenter coluisse, sed etiam in iisdem profectus egregios fecisse; non possum non, RESPONDENS HONORATISSIME, finem studiorum academicorum feliciter factum, ex animo tibi gratulari. Ex quo tempore enim curae meae specialiori demandatus fuisti, ex eo tempore TE impensius amare cepi. Vehementer itaque laetor, TE cum laude academiam nostram relinquere. Simulque opto, ut redux in patriam, adparatu eruditionis, quo ingenium hucusque instruxisti & instrues in posterum, de patria, de ecclesia, de Tuis & de Te met ipso bene & egregie merearis. Sic satisfacies voto parentum tuorum optimorum,

morum, omniumque eorum, qui TIBI bene cupiunt. Vale, & me TVI TVORVMQUE studiosissimum amare perge. Dedi in Fridericana Regia d. XXVII. April c1010ccclxx.

AMICO SVO AESTIMATISSIMO

S. D.

ERNESTVS GODOFREDVS MENTZEL

VOLAVIA SILESIVS.

*V*oluntati TVAE, cum mihi demandares, ut scripto TVO litteras adiungerem, lubentissime satisfacio, potissimum, cum mihi a TE copia data sit, publice tecum sermonem instituendi, ita ut aduersarii partes teneam, de qua prouincia, quam mihi benignissime iniunxisti, mirum in modum gaudeo. Non quidem ideo, quasi putarem, me grauius arguenda in contrariam partem esse adducturum, sed potius, quia TE tam liberali ingenio, summae modestiae deditum, optimisque studiis exornatum cognoui amicum, vehementer laetor. Cathedram conscendis, publicum dexteritatis atque eruditionis TVAE specimen editurus, TE autem victorem, quem in defendenda dissertatione TVA, TE es praestiturus, & honorem, quem exinde es reportaturus, laetus iam praecideo. Laudum TVARVM praeconem agere nolo; quoniam, si ipsum scriptum TVVM, tanta diligentia atque eruditione exaratum, respicio, omnis laus mea, quam TIBI debeo, manca & superuacanea esse videretur. In votis tantum adhuc habeo, ut TE Deus incolumem ad patrios lares reducat, coeptisque TVIS faueat. Ad me autem quod attinet, amori & amicitiae TVAE subinde commendatissimum habeas velim, prouti & TIBI ex mea saltem parte amicam mentem nunquam non deditissimam, nec ulla rerum vicissitudine habefactatam spondeo. Vale. Dab. in Regia Frideric. d. XXVII. April c1010ccclxx.

SCHWAR-



SCHWARTZIO SVO

S. D. P.

SAM. TRAVG. ELEAS. KOENIG.

Quum amice amantissime hac ipsa dissertatione, quae sub praelo suat, ingenii atque doctrinae Tuae liberale atque illustre edas documentum, quo laudis multum Tibi dubio procul paries: non meo efficere possum praeconio, ut laudi Tuae quidpiam splendoris addatur; mitto igitur, quae in Tuam laudem amplissime dici possent, & quod meum est, in hisce ad Te dandis litteris sequor. Gratulor enim mihi quam maxime de Tuo in me animo, quo iam diu in numerum Tuorum me cooptasti amicorum. Et Patens Tuus plurimum reverendus, compater meus non vulgari honore dignus, in beatum patrem meum: ita Tu in me es animatus. Et amor in Te meus est, quantus potest esse maximus. Hinc inter nos non temporariam sed perpetuam statuo amicitiam. Nunc quidem non sine multo tristioris mentis sensu nostram instantem separationem scio, sed tristem animum mitigare queo, renacior quia est firmiorque amicitia nostra, (et nostrorum parentum fuit), quam ut vixis nobis in oblivione venire possit. Gratulor vero Tibi, ex animo magis quam ex consuetudine, de laudabili vitae academicae Tuae exitu. Faxit Deus, ut sospes & incolumis me comitante patrios lares salutes! in Patria etiam Tibi secundet incepta, ut tandem fructus studiorum Tuorum & curae patri optimi percipere possis exoptatissimos! Valeat Halae d. 27. April. 1770.

AMICORVM OPTIMO,

S. P. D.

IOANNES FRIDERICVS KVRTS, HAYNOV. SILES. OPPON.

Quaedam ut etiam, amice suavissime, libello Tuo doctissime elaborato, coronidis loco adderem, iam me vrages; libenter sequar. Gaudio me compleri permagno, qui adversarii munere suorum, negare non possum: nam quanti Te semper fecerim, nunc publice significandi mihi dedisti occasionem. Quae Tibi laudi ducenda sint, paucis percurrere, meum omnino esse putarem, sed mihi brevitati cum serviendum sit: qui de eruditione Tua persuadere sibi cupient, libellum hunc adire possunt, & tibi, quae Tibi magno honori veri possunt, invenient omnia. De integritate & suavitatem morum, atque de virtutibus Tuis, cum nemo sit hic, qui de eis dubitet, superfluum esse dicere. Modestiae Tuae parcam; Te laudes mereri, quam audire malle bene scio. Sufficiant haec: plura me spatium adicere prohibet. De amicitia baud fucata Tua, qua me semper es dignatus, mihi gratulor. Seruus etiam inposlerum eam, mihi tam gratam benevolentiam, iterum iterumque opto. Bene perpetuo valeas. summo omnium moderatori, quoad viam, supplicare nunquam desinam. Scripsi Halae d. 27. April. MDCCLXX.

Fe 4194

ULB Halle 3
002 623 889



SB

Retrov





13
DISSERTATIO THEOLOGICO-HERMENEVTICA

DE

DISCRIMINE
NOTIONVM VVLGARIVM
ET CHRISTIANARVM
IN LIBRIS N. T. OBSERVANDO.

QVAM

PRAESIDE

VIRO SVMMÆ VENERANDO, EXCELLENTISSIMO,
AMPLISSIMO, DOCTISSIMO

IOANNE SALOMONE SEMLERO

S. S. THEOLOGIAE DOCTORE, PROFESS. PVBLICO ORDINARIO,

SEMINARII REGII DIRECTORE

REGIORVM ET HALBERSTADIENSIVM ALVMNORVM EPHORO

PRAECEPTORE ATQVE PATRONO

OMNI PIETATE AETERNVM COLENDO

DIE XXVII. APRIL. H. L. C.

EXAMINI ERVDITORVM PVBLICO SVBICIT

A V C T O R

CHRISTIANVS GOTTLOB SCHWARTZ

SPROTT. SILES.

HALAE MAGDEBVRGICAE

LITTERIS IOANNIS CHRISTIANI HENDEL.

C1010CCLXX.

